

1692

- 1.^o = Engelhardt, Jakob Lippold: De eo, quod iustum est - Circa mutationem nominum. 3. Scapf.
2. Finckler, Ludovicus Gustavus: Dissertatio mag. juri. de gloriis ... nostri Josephi imperatoris Capitalationis inserviarum uoxes mutationum considerationes.
- 3^o = Langenbeck, Hermann: De castigatione moderate 2 Scapf.
4. Linckx, Henricus: In Cem I & V. I. et. Hen. Petri Clericum artificem et negotiatorum ... considerans.
- 5^o = Rodelius, Gottlieb: De affecto. 2 Scapf.
6. Zuernerius, Ioh. Adams: De multitate inquisitionis.

1693.

- 1.^o Altherr, Lippold: De legitimis in temporali spacio meatus. 2 Scapf.
2. Hitzigius, Henricus: De personis et gradis carnique iuribus.

3. Kugler, Joh. Henr.: De singulis et multis liberae
4. Möller, von. Thiel.: De C. Famis.
5. Riegerus, Joh. Laurentius: Geometriae Logicae in
Salem: apud censuram
6¹¹² Ritter, Georgius: De substantiis
superstari ultra pubertatis annos facta
2. Tractatus
7. Ritter, Georgius. Gollus: De compromissis
fori Germanici in iuricem competenter factis
8. Sauer, Nicolaus: De patria
9. Schimpel, Heinrich: De ratione in solutione
10. Stoll, Petrus Philippus: De jure defensio et
recte praestans.
11. Tafel, Joh. Benedictus: De civitatem Contra
Liberibus

12. Tsches, Jakobus: De jure statutariorum
13. Tsches, Jakobus: Disputationes iusanguli
juristicum, iugis jas divisione forensi cum
iure communis confertur simulque ex illius
usq[ue] horis non iugis confertur

actis

14
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
A D I E C T O,

GERMANIS:

Von denen in Obligationen, Contracten und Testamenten angehängten Bedingnüssen, in wieferne solche für gültig oder ungültig zu halten sind.

1692. 5-

QVAM
IN ACADEMIA ALTDORFINA CELEBERRIMA,
PRO

LICENTIA DOCTORALI
ERUDITORVM EXAMINI SVBIECIT
GOTTHARD RVDELIVS,
COTBV S. LVSAT.
D. XVIII. IAN. MDCCXII.



IENAE,
EX OFFICINA HELLERIANA, 1757.



DISSESTITIO FANONIALE IARIDIC

10

A D I E C T O.

DISSESTITIO FANONIALE IARIDIC
CANTUS ET ORGANUM
GOTTWALD RÖBELIUS
MUSICO-PEDAGOGO IN CELEBERRIMA
HICINTIA DOCTORIA

DISSESTITIO FANONIALE IARIDIC
CANTUS ET ORGANUM
GOTTWALD RÖBELIUS

IN LIBRARIA
OBERTINA HERBERIANA 1725



I. N. D. N. I. C.

Thes. I.



ost Examina, legitimis U. J. Can-
didatis in hac LL. Nutrice, cele-
berrima Universitate Altdorfina,
ante, quam ad capiendos hono-
res Doctorales admittantur, sub-
eunda, cum DEO feliciter exant-
lata, impetratamque ab Amplis-
simo J Ctorum Collegio Inauguraliter disputandi
Licentiam, placet pauca quædam, pro temporis,
quo nunc includor, angustia, ingeniique, quo me
metiri didici, modulo, eum in usum de ADIE-
CTO Commilitonibus meis his thesibus publice
proponere, non quidem quasi in hac materia me
in primis aliquid præstare posse considerem, sed
quia illa mihi aliud agenti præter opinionem for-
tuito in manus incidit, & præterea, sive diversas res

A 2

& fa-

& facta, quæ in stipulationem deducuntur, sive ipsam perlonam, quæ solutioni adjicitur, sive solvendi locum & tempus aliasve circumstantias spe-
cetes, varia utilitate in controversiis forensibus non
destituitur, memor commonitorii Pauli in l. 25. de
liberatione legat. Ulpiani in l. 1. pr. de suspectis tuto-
ribus, ipsius Justiniani Imperatoris in l. f. Cod. de fide-
jussor. et Imperat. Leon. in Nov. 46. ubi ita loqui-
tur: *Quemadmodum ut quæcunque aliae res in com-
munis vite usum assumantur, ipsarum commoditas
facit, & quæ utilitatem aliquam adferunt, magnifi-
cimus: sic omnino & ad legalium capitum composicio-
nem nos accommodari oportebit, ut, quarum usus a-
liquis sit, qui bono quopiam rem publicam beet, bane-
cessario & ferantur & bonorentur: quarum vero
usurpatio aut nullius momenti, aut mala sit, harum
non modo non ratio habeatur, sed etiam e legum cor-
pore exemptæ rejiciantur.*

Th. II. Dicitur autem Adjectus ab adjicen-
do, quod obligationi in solutione recipienda vo-
luntate debitoris à creditore sibi ipsi adjiciatur vel
adjungatur, usque adeo, ut, dum adjecto huic sol-
vitur, eidem creditori solvi videatur l. 59. de solut.
ab ad & jacio, ea notione, qua pono significat, ut
cum

52

ēum fundamenta jacere dicimus. *Voss. in Etymolog.*
verb. jacio. Licet enim præverbium *Ad* alias di-
versas habeat significations, de quibus præter a-
lios Buchnerus in *Thesauro Fabriano* hac voce, Rob-
bigius *Codic. Critic. lib. 12. cap. 3.* Auson. *Popma lib.*
1. de different. verbor. sub lit. A., *Augustin. Barbos.*
tractat. de diction. dict. 6. Job. Strauch. in Lexico
particular. Jur. hoc vocab. & cum allegatis Stracch.
tractat. de Adjecto part. 1. n. 2. seqq. amplitis viden-
di, heic tamen significat juxta, & exinde ipsum ver-
bum compositum juxta jacere, ponere vel adjun-
gere, quomodo & in l. 7. famil. ercisc. l. 88. de her-
red. instit. l. 7. & 32. de Vulg. & Pupill. substit. cohe-
res heredi adjici, qui in l. 14. §. 1. de Codicill. adjungi
dicitur. conferatur Stracch. d. l. n. 4. seqq. & alias
heic Francisc. Sarmient. Episcop. Astoricens. Inter-
pretat. selectar. lib. 7. cap. 14.

Th. III. Describi potest, quod sit persona
voluntate partium in conventionibus propterea si-
mili adsumta, ut ipsi solvi possit. Conf. Stracch. d.
part. n. 31. seq. Sunt qui loco generis vocem pro-
curatoris substituunt, quos in eo imitari ideo nolu-
mus, quod in l. 12. §. 1. & seq. Adjectus à procu-
ratore distingvatur, & non acturum manda-
tum aliquod inter me & Titum contra hī intelligi

possit, cum mihi aut Titio dari stipulor, quali mandato tamen procuratorem constitui ex l.i. de procurat. incunctabile est, atque præterea mandatum re integrâ revocari iterum, adeoque creditor prohibere queat, quo minus procuratori solvatur, quod pariter in adjecto longe secus se habere, inferiora nos edocebunt, vid. omnino Cujac. tract. 7. ad Africanum l.38. pr. desolut.

Th. IV. Causa Efficiens remota est ipsum Jus Naturæ & Gentium. Quum enim hoc ipsum ex mente Grotii lib. 2. de J. B. & P. cap. 11. n. 18. non impedit, quo minus pro tertio per extraneum obligatio & actio acquiratur, modo is postea jus illud etiam acceptet, conf. Scacc. de Commerc. §. 2. gloss. 7. h. 21. seqq. id quod etiam hodie moribus receptum, & ita passim observari testantur Cothm. Vol. 2. Resp. 54. n. 87. seq. Arnold. de Reyg. Thesaur. Jur. verb. stipulatio. n. 42. Merv. part. 4. decif. 112. & part. 8. decif. 430. Covarruv. 1. var. resolut. c. 14. Gomez. 2. variar. resolut. c. 11. Gutierrez. 2. practic. quæst. 58. num. 16. seq. pluresque alii, in primis inter Mercatores, Groeneweg. ad §. 19. J. de inutil. stipul. Gudelin. de jur. noviss. Lib. 3. cap. 5. Chriſtin. Vol. 1. Decif. 68. & 186. Hartmann. Pistor. Observ. 180. multo minus resistet, si stipulator solutionem ^{alios} à pro-

37

à promissore sibi faciendam in tertium quemcunque conferat, adeoque eo ipso eamdem à promissore per tertium illum accipiat. Quid enim interest, mihi creditori an ali mea voluntate debitor meus solvat? *l. 4. Cod. Et l. 49 ff. de solut.* Potissimum autem heic operatur Jus Civile, uti subsequentia amplius demonstrabunt.

Th. V. Distinguvi quidem posset Adjectus & ratione adjicientium, & pro diversitate conventionum negotiorumque, in quibus adjicitur, & pro diversa conditione ipsorum Adjectorum alisque respectibus varie, nobis tamen heic tantum curæ erit illa distinctio, qua Adjectus dividi solet à fine in eum, qui creditoris, & eum, qui debitoris, & eum, qui sui ipsius gratia solutioni recipienda adjicitur. Creditoris, si is tempore solutionis in loco contractus prælens esse vel nequeat vel nolit. Debitoris, ut ei solutio evadat facilior, quod in dubio præsumitur, *Stracca de Adject. part. I. n. 35.* Ipsius Adjecti gratia, si is donationis vel eidem ex obligatione alia quadam præcedenti satisfaciendi causa interponitur *l. 131. §. 1. de V. O.* Licet enim nonnulli sibi habeant perivalsum, sua ipsius gratia Adjectum adsumi non posse, eo, quod hac ratione stipulator solutum repetere non queat, aliquid tamen

men humani illi patiuntur & manifesto commit-
tunt petitionem ejus, quod est in principio. Agno-
scit simpliciter l. 131. §. 1. de V. O. donationis gratia
Adiectum, cur non etiam Adiectum sui ipsius gra-
tia? Potest constitui procurator in rem suam, quid
impediret, quo minus quis solutioni suo emolu-
mento adjiceretur? Et certe ex hoc fonte fluit illa
quorundam divisio Adiecti in simplicem, & in rem
suam. confer. Alberic. de Rosate, Castrensf. Aretin.
Alciat. aliquie Comment. ad d. l. 131. §. 1. de V. O. &
Stracch. d. part. 1. n. 38. seq. ac part. 3. n. 82.

Th. VI. Solutioni adjicere quem potest
Creditor quilibet, potestate & voluntate stipulan-
di contrahendique ac solutionem recipiendi non
destitutus. Nisi enim in stipulatore subsistat obli-
gatio, Adiectio omnino vitiosa est l. 11. de O. & A.
conf. l. 11. 12. 13. de stipulat. servor. & ad d. l. 12. Cu-
jac. l. ult. §. 7. verb. nisi quod ad me. de V. O. Adjici
autem ita possunt in una obligatione vel plures, vel
unus, & quidem etiam is, cui alias obstatis men-
tisque imperfectionem cum effectu liberationis ex
parte debitoris solvi non potest. Imputet enim si-
bi adjiciens, cur talem adjecerit, & ei iuum debi-
tum solvi voluerit. Unde pupillo adjecto etiam
sine tutoris auctoritate efficaciter solvi potest, l. 11.
de

de solut. infantiae quantumvis proximo; in pupillo tamen sua ipsius gratia solutioni adjecto, DD. tutoris auctoritatem quoque requirunt. Et cum eadem ratio in furiolo, mente capto, fatuo atque prodigo militat, quæ in pupillo, hi omnes quoque arg. l. 32. ad L. Aquil. æque poterunt adjici, ut pupillus, si adjiciens illorum conditionem non ignoret. Quod de his personis affirmatum est, multo magis in minoribus admittetur. Tutoribus autem & curatoribus harum personarum, si fuerint adjectæ, quod recte possit solvi, probat l. 95. §. 7. de solut. Quod deportatus & servus possint adjici, ita, ut & illi soli, non domino, nisi servus consentiat, debitor efficaciter solvere queat, evincit l. 9. & d. l. 95. §. 7. de solut. Idem DD. enunciant de Monachis, quum & alias pleraque de servis in Jure nostro constituta ad Monachos applicari soleant, de qua analogia amplius vid. Everbard. Top. legal. loc. 24. Stamm. de Servitut. person. lib. 1. c. 1. sequ. & Fellmann. de Jure in re & ad rem cap. 5., quamvis superveniens servitus & Monachismus potestatem solutionem recipiendi infringat, uti infra videbimus. Filius familias quin in sua stipulatione patrem, & hic vicissim filium familias solutioni possit adjicere, non est dubitandum, & probat l. 56. §. 2.

B

de

de V. O. cum l. 95. §. 5. de solut. ita, ut ibidem & patri, heic vero filio quoque recte solvatur. Si vero extraneus filium familias adjecit, illi soli, non etiam propter ipsum patri, recte solvitur, quia solutio quid facti, adeoque perlonam, cui primario fuit acquisita, sequitur *l. 44. de Condit. & demonstr.* & alias filius familias deterioris foret conditionis, quam servus adjectus, cuius domino sine ejusdem voluntate solvi non posse, ante evictum dedimus, quod abs nonum.

Th. VII. Perduellionis autem & criminis l*æsa* Majestatis rei, aliisque, in quos solutio ipso jure non cadit, non possunt adjici, arg. *l. 5. pr. & §. 1. l. 6. §. 1. & l. 8. pr. C. ad L. Jul. Maj. conf. Sebastian. Gvazzinus de Confiscat. bonorum concl. 24.* Num ables possit adjici, frustra fuit dubitatum. Quum enim Adiecto neque obligatio, neque actio per stipulationem acquiratur, nulla appetet necessitas, quæ adjiciendi praesentiam præcise requirat, de quo infra Thes. XVII. in fin. amplius videbimus.

Th. VIII. Adjici poterit quispiam solutio ni in omnibus conventionibus, in quibus solutio nis promissio intercessit, vid. *l. 1. §. 3. de paci.* etiam in contractibus consensualibus, realibus, & litera libus. Quantumvis enim in *l. 10. de solut.* & pleris que

que aliis textibus, in quibus de Adjecto agitur, duntaxat stipulationis mentio fiat, illud tamen vel tantum exempli loco, vel quia Adjectio plerumque interveniente stipulatione fieri tum solebat, factum, vel in generaliori stipulationis significatu vox hæc accipienda est, quam id propter etiam Pandecten & Saturam in *Paratitl. ff. de V. O. Cujac.* appellat. conf. *Giphan. ad rubric. de V. O. num. 24.* Plane in donationibus quoque Adjectum adlumi posse, *l. 19. §. 3. de donat.* evincit. Dotis etiam solutioni quis adjici potest, non tamen donationis gratia, quum maritus ad dotem suo tempore restituendam sit obligatus, quod fieri non posset, si Adjectus dotem sibi solutam lucraretur. Vid. *l. 59. pr. de jur. dot.*

Th. IX. Illud heic nihil interest, res debitorum mobiles sint, sive soli, corporales, sive incorporales, extent, sive futuræ sperentur, modo sint in commercio tum stipulatoris, tum Adjecti *l. 34. de V.O.* Ut enim res illæ in stipulatum aliaque contractuum genera deduci queunt: ita & per communem sensum earundem solutio in personam Adjecti conferri poterit, quum ejusmodi Adjectio non quidem se habeat ut accessoria obligatio, vim tamen suam omnem & robur ex persona stipulatoris

accipiat, adeoque in quibus causis & circa quas res stipulatio subsistit, in illis causis & circa illas res etiam Adjectiōem ejusmodi subsistere necessum sit, & contra, si res, quarum ex earundem natura dominium non est, vel commercium stipulator non habet, vel quæ jam sua est, in stipulationem deducerentur, quia earundem stipulatio non subsistit, nec earum solutio & præstatio in Adjectum conferri posset, l. ult. §. 7. de V. O. Ex hoc apparet, subjicit ibi sq. §. 8. J. Cius Cajus, si diversa conditio in meam personam, diversa in Titii posita sit, nec in meam personam extiterit conditio, totam stipulationem nullius momenti futuram: extante vero mea conditione, si quidem Titii quoque conditio extiterit, poterit vel Titio solvi; si vero in illius persona deficerit, quasi non Adjectus habebitur. conf. Alciatus in Commentar. ad d.l. §. 7. & 8. Commentatoresque alii. Illud singulare est, quod stipulatio & Adjectio nulla sit, ubi res in stipulatum deducta est extra commercium, & stipulator Adjectusque hoc ignoraverit, promissor vero scivit; in aliis enim negotiis, præsertim in emtione venditione hoc secesse, obtervavit Strauch. Jur. Justin. Dissertat. 4. tb. 9. & Dissertat. seq. tb. 5. conf. Lauterbach. Tr. Synopt. de contrah. empt. vendit. §. 1. tb. 7.

Th. X.

Th. X. Quod in obligationibus dandi obtinet, obtinebit etiam in obligationibus faciendi, modo facta fuerint & naturaliter & moribus non impossibilia, & observentur reliqua, quæ in obligatione faciendi de jure & moribus observanda sunt. Unde legitima est conventio: mihi in meo solo, aut in Titii loco insulam ædificabis & libera turque promissor à nexus obligationis, si non in stipulatoris, sed Titii solo insulam ædificaverit. l. 98.
 §. 6. desolut. Subjicit ibidem JCtus Paulus objec tionem quandam, sed & intimul ad eandem responder, quam cum Cujac. in recitat. solennibus ad d. l. clarius proponat, ipsius verba heic legere, opera & omnino pretium erit: Nec obstat, ait, quod factum pro facto solvi invito non potest, sicut nec res pro re, l. 2. §. mutui. de reb. cred. l. si quis aliam. b. t. quia & eo modo, quum reus ædificat in solo Titii, non solvit factum profacto, sed ex duobus factis, quæ in stipulatum disjuncti in deductis sunt, eligit promissor, quod mavult: in disjuncti vis electio est promissoris l. plerumque. §. ult. de jur. dot. Hæc Cujac. ibidem. Ea tamen Adjectio in obligationibus faciendi frustanea est, quæ sit propter factum, quod Adjecto plane non potest acquiri. vid. l. 5. Commun. præd. l. 5. de stipulat. servor. & §. ult. f. de inutil. stipulat.

Th. XI. Adjicitur autem tertius solutioni non per particulam conjunctivam Et, similemque aliam, hoc enim casu, si res dividua fuerit, non nisi pro parte dimidia valet stipulatio, stipulatorique adquiritur, quod in stipulationem est deductum, §. 4. *Instit. de inutil. stipul.*, pars autem altera & aliena deducitur, ut, (quemadmodum Jctus Pomponius in l. 110. pr. de V. O. loquitur) quod extraneo inutiliter stipulatus sum, non augeat meam partem; si res vel causa individua fuerit, Adiecti persona supervacuo accipienda erit, totaque res ad stipulatorem pertinebit l. 64. de contrab. empt. & l. 139. de V. O. Locam. quest. Justin. 295. & Anton. Fab. add. l. 64. in decis. sed per particulam disjunctivam & alternativam vel, sive, seu, aut, quæ ipsæ particulae licet interdum & aliter accipientur, regulariter tamen, naturaque sua ac proprie disjunctivæ sunt, post VVebner. Ruding. Cardinal. Tusch. aliosque, Straub. Lexic. particul. jur. & Barbos. Tractat. de diction. usufreq. sub dd. partic. atque Valentin. Gwilhelm. Forster. lib. 1. observat. cap. ult. Et licet particula ve aliquando, præsertim in dubia locutione, conjunctiva sit, non rarerter tamen, & præcipue in hac materia disjunctiva est, Straub. d. Tract. partic. ve, & Barbos. eod. Efficiet itaque hæc formulæ:

la : mihi aut Cajo, mihi Cajove dare spondes Ad-
 jectum , illa vero : mihi & Cajo vel cum Cajo non
 æque, conf. Stracch. d. tractat. p. 4. q. 3. atque Cu-
 jac. ad l. 55. de V. O. & ad African. tractat. 7. ad l. 38.
 de solut. Scilicet orationis copulativæ ea est vis
 & efficacia , ut summa inibi promissa pro numero
 personarum dividatur, perindeque habeatur, si
 mihi & Cajo decem stipulor, ac si mihi & Cajo si-
 mul decem stipulatus essem, id est, quinque mihi,
 & Cajo totidem. Eteo referri debet, quod ait Ju-
 lian. in l. 56. pr. de V. O. eum, qui ita stipulatur : mi-
 bi & Titio decem dare spondes ? verosimilius est,
 semper una decem communiter sibi & Titio stipulari:
 sicuti qui legat Titio & Sempronio, non aliud intelli-
 gitur, quam una decem communiter duobus legare.
 conf. l. 56. de condit. & demonstrat. l. 11. §. 1. de duob.
 reis. & Cujac. add. l. 56. de V. O. Disjunctivæ ve-
 ro stipulationis ea est natura, ut mediante illa uni-
 cuique solidum acquiratur, nec pluribus summa in
 stipulatum deducta attribuatur, sed unitantur, si
 alteri non detur. Eruditæ iterum Cujac. ad l. 118.
 §. ult. de V. O. *Coniunctio*, ait, *facit nos pares, me &*
Titium, si dixerimus, mibi & Titio dari : disjunctio fa-
cit nos disparem, si dixerimus, mibi aut Titio dari : nam
in persona quidem mea consistit obligatio, in persona

Titii

*Titii solutio, non obligatio; hoc sermone: mihi aut
Titio, Titius solutioni applicatur, quod fit utiliter, il-
lo sermone: mihi & Titio dari, Titius obligationi
applicatur, quod fit inutiliter. Hx ibidem Cujac.*

Th. XII. Illud heic ratione ipsius solutionis & inde emergentis liberationis nihil interest, sive stipulator velit, ut eadē res solvatur Adjecto, quam ipse sibi est stipulatus, sive alia v. g. sibi decem, aut Titio Stichus, ita tamen, ut debitor solvendo Stichum non ipso jure, sed ope tantum exceptionis liberetur. *I. fin. §. 5. de V. O.* Quando-cunque enim eadem res, quæ debetur, solvitur ipsi creditori vel ejus voluntate alii, ipso jure extinguitur obligatio; quando vero aliud, quam debebatur, vel alii, quam cui debebatur, solvitur, libera-tio tantum ope exceptionis contingit, quasi contra juris regulas ex æquitate & ob contrahentium con-sensum. *conf. l. 34. §. 2. & l. 98. §. 6. de solut. ac Gi-phan, add. l. ult. §. 5. de V. O. n. 20. seq. & Donell. eod. n. 3.* Quod tamen secus se haberet, si utraque res in personam stipulatoris conciperetur, tunc enim utraque etiam res ratione stipulatoris in obligatio-ne, sed & insimul in electione promissoris foret, quam rem & cui solvere malit, adeo, ut si Titio Stichum, mox vero etiam stipulatori decem solve-rit,

rit, promissor Stichum, non quidem Adjecto, sed ipsi stipulatori, quasi rem indebitam, ejusdem voluntate Adjecto solutam, condicere queat, d.l.34. pr. de solut. & ibi *Castrensis*, quo viro, ex Cujacii e-logio in recitat. ad l. 56. §. 1. de V.O. nemo J^ctorum est peritior, nemo doctior, ac l. 59. eod.

Th. XIII. Nihil quoque impedit, quo minus aliud tempus solutioni Adjecto facienda adjiciatur. Plane in Adjecto, etiam maturius tempus, quam in Creditore, constitui potest, quo causa stipulatio id operatur, ut si Adjecto tempore statuto non sit solutum, nihilominus deinceps stipulatori solvi queat l. ult. §. 6. de V.O. Licet enim omnia fiant in tempore, nihil tamen sit à tempore, neque tempus efficit obligationem, sed differt tantum solutionem. l. 46. pr. de V.O. add. *Giphan*. ad l. 44. de O. & A. n. 8. Non obstat, quod hac ratione plus videatur esse in accessorio, quam in ipso principali, quem Adjectus obligationi non accedit, sed sit plane extra illam. vid. iterum *Giphan*. add. l. ult. §. 6 de V.O.

Th. XIV. Sed nec illud refert, stipulatus sibi quis fuerit solutionem pure, Adjecto vero in diem vel sub conditione, non tamen vice versa mihi sub conditione, Adjecto pure stipulari possum,

C quia,

quia, nisi à me vim acceperit obligatio, adjectio
nihil valere potest, sed tanquam accessio deficeret
principali causa sublata, d. l. ut. §. 7. de V.O. ibique
Giphan, num. 26. circa fin. à me autem vim accipere
non potest ante existentiam conditionis, dum, ubi
sub conditione quis stipulatus fuerit, neque cessit,
neque venit dies pendente conditione l. 213. pr. de
V.S. si vero Adjectio ita fiat, ut Adjecto adimple-
ta demum conditione solvatur, subsistat Adjectio,
arg. l. 9. pr. & §. 1. qui potior. in pign. Hoc tamen
ita demum tractari potest, si evidenter apparet pu-
re Adjecti persona adjuncta: alsoquin cum ita sti-
pulor: Si in avis ex Asia venerit, mihi aut Titio da-
ri spondes? Titii quoque persona sub eadem con-
ditione adjici videtur, sunt verba Caji in d. §. 7.
Regula enim est, ut, quæcumque apposita sunt in
stipulatione, in primis si utraque dispositio unum
eundemque finem respiciat, & circa eandem rem
versetur, pertineant quoque ad Adjectum, nisi di-
versum quid ex mente contrahentium oppido de-
monstrari queat. Sed num is, qui sibi pure, Ad-
jecto sub conditione est stipulatus, statim agere
poterit? Ita videbatur dicendum, cum ubi quis
pure fuerit stipulatus, & cessit & venit dies d. l. 213.
pr. de V.S. quo etiam facere videtur l. 7. de duob. reis
cons.

constituend. quam in primis Bartolus heic urges.
 Sed quum per eis modi Adjectionem debitori ele-
 ctio concedatur, utrum ipsi stipulatori, an Adje-
 ctio velit solvere, non potest hic stipulator statim &
 ante, quam conditio Adjecto sub juncta vel ex stat
 vel deficiat, solutionem petere, ne potestas debitori,
 utri velit, dandi auferatur, ut loquitur Paulus in l.
 21. de usu & usufruct. legat. quod secus est, ubi nul-
 la debitoris est electio, de quo casu d. l.7. de duob.
 reis loquitur: Ex duobus reis promittendi enim, a-
 lius pure, alius in diem vel sub conditione obligari
 potest, nec impedimento erit dies aut conditio, quo
 minus ab eo, qui pure obligatus est, petatur, sunt ver-
 ba Imp. in §. fin. J. de duob. reis stipul. Alciat. add. l.
 ult. §. 7. de V. O. num. 10. seq. Ex quo apparet, si
 aliam conditionem stipulator sibi, diversam Adje-
 ctio apposuit, & illa non extiterit, quod tota stipu-
 latio nullius momenti futura sit, ea vero sola adim-
 plita, etiam stipulatori soli, quasi nemo sit Adie-
 ctus, existente vero conditione utraque, utrique
 etiam, & stipulatori & Adjecto, recte solvitur d.l.
 ult. §. 8. & ult. de V. O. Dependet itaque hac ra-
 tione Adjectionis validitas ab eventu vel defectu
 conditionis stipulatoris, tanquam principalis, &
 exinde ut accessoria vel valebit vel evanescet, iniuti-
 lisque

lisque principalis obligatio tacita consequentia vi-
tiabit Adjectioem, sed non vice versa. Giphān.
laudat. loc. n. 27. seq.

Th. XV. Disquiri etiam heic solet, quid
juris, si alia summa expressa reperitur in stipulante,
alia in Adjecto? Distinguunt DD. an major ex-
pressa in illo, an vero in hoc? Sin istud, iterum re-
spiciunt, an minor summa in Adjecto sub conditi-
one sit expressa, & majorem quis in pœnam stipu-
latus, quo casu debitor Adjecto tempestive sol-
vens, à tota obligatione liberatur. arg. l. 118. §. ult.
de V. O.; an vero simpliciter & sine tali respectu sti-
pulatio facta, & debitor liberabitur quidem etiam
à creditore quoad eam summam, quam Adjecto
solvit, quoad reliquum vero, quod ultra stipula-
tori promiserat, eidem adhuc obligatus remanet l.
98. §. 5. *desolut.* ubi iterum vid. Cujac. Non offi-
cit, quod in obligatione alternativa solutio in uno,
etiam minoris pretii & quantitatis, facta, totam ni-
hilominus obligationem tollat, & liberationem
plene ac quoad alterum quoque operetur, quia
heic nulla obligatio alternativa subest, quum debi-
tor Adjecto plane non sit obligatus, & præterea in
eiusmodi alternativa quantitatis etiam minus dun-
taxat in obligationem videtur deductum l. 109. de
V. O.

V. O. & l. 12. eod. ibique Donell. n. 5. omnino vi-dendus, Castrensis, Job. Aretin., qui ibidem n. 7. debitorem majorem summam solventem, quic-quid ultra minorem solvit tamen, donasle arbitra-tur. add. Gœdd. de contrab. stipul. c. 8. n. 201. Si vero inverso ordine major summa expressa in Adje-cto, stipulatori vero promissa minor, e. g. isti vi-ginti, huic decem, stipulatori decem solutis, libe-ratio equidem contingit, si autem Adjectus tantum totidem recepit, reliqua decem stipulatori adhuc exsolvenda erunt d. l. 98. § 5. de solut. Ratio est, quia debitor nihil eorum fecit, qua in obligatio-nem deducta erant: neque enim stipulatori de-cem, neque Adjecto viginti solvit. Et licet Adje-cto intuitu stipulatoris decem sint soluta, pro reli-quis nihilominus eidem contra debitorem actio superest. conf. Castrensi. ad l. 34. de solut. & Stracch. d. tractat. part. 2. n. 56.

Th. XVI. Quod de diversitate rerum su-pra fuit dictum, applicari etiam potest ad diversita-tem factorum, ut quoque *Thef. X.* jam tum innui-mus, si quis v. g. ita stipulatus fuerit: mihi domum in fundo meo, aut Titio molendinum in suo fun-do ædificabis? Subsistet enim & heic stipulatio fir-mo talo, ita tamen, ut, si factum Adjecto promis-

Ium tantum fuerit adimpletum, molendinumque
eius fundo inaedificatum, liberatio itidem non qui-
dem ipso jure, sed tantum ope exceptionis contin-
gat. Nec obest, quod quaz solo Adiecti inaedifi-
cantur, solo cedant, Adiectique dominio acqui-
rantur, adeoque stipulator, cui tamen soli obliga-
tio est acquisita, exinde nullum capiat emolumen-
tum, quum hoc sibi ipsi imputare debeat stipu-
lator, qui ita stipulatus fuit, &, veluti in *Theſ. V.*
hoc demonstravimus, non *αλογιας* Adiectio etiam
in solus Adiecti gratiam & compendium fieri
queat.

Th. XVII. Illud adhuc ratione formæ circa
hanc Adjectionem controverti possit, num scilicet
heic præcise requiratur, ut persona stipulatoris in
stipulatione *Adiecto* præponatur, e.g. mihi aut *Ti-
tio*: an vero stipulatio illa per omnia quoque lub-
fistat, si perlona *Adiecti* in stipulatione ante-persona
vero stipulatoris postponatur, hoc modo: *Ti-
tio*, aut mihi? Certe *JCtorum Princeps, Cujacius,*
adl. 56. pr. de V. O. illum stipulationis adjectionis
que ordinem, & ut stipulator heic præponatur
Adiecto, præcise videtur requirere, dum ait: *Sed*
*ut Titius habeatur pro Adiecto soluti nis gratia, ne-
cessè est, me initium stipulationis facere à meis*,
nempe

nempe hoc modo, mihi aut Titio? vice enim versa
si stipulor Titio aut mihi? Titius pro Adiecto non ba-
betur l. Cajus. solut. matrimon. & stipulatio illa, Ti-
tio aut mihi dari, omni ex parte nulla & inutilis est,
quia hoc modo obligatio confertur in personam Titii,
quod sit inutiliter. Hac ibidem Cuiac. Verum
enim vero quum (1) alias incivile putetur, scriptu-
rae quidem ordinem sequi, sperni autem testatoris vo-
luntatem §. 34. I. de legat. & ordo scripturae non im-
pediat caussam juris ac voluntatem l. 77. §. 12. de le-
gat. 2. nec ordo scripturae spectetur, sed potius ex jure
sumatur id, quod agi videtur l. 6. de solut. & (2) pre-
posterior temporis, uti Thes. XIII. monuimus, si
pulationem & Adjectionem non enervet, citerior-
que dies in Adiecti personam conferri queat, veluti:
mihi Calendis Februariis, Titio Calendis Januariis
l. ult. §. 6. de V. O. l. 98. §. 4. de solut. quia eo modo
petitio tantum & solutio confertur in longiorem
diem, obligatio autem statim nascitur, ipse Cuiac.
ad d. §. 4., atque (3) ipsa allegata l. Cajus. 45. circa
fin. versic. sed dicendum est, solut. matrim. satis de-
monstrat, formatam stipulationem Titio aut mi-
hi, ita posse accipi, ac si quis solito modo sibi aut
Titio stipulatus, adeoque Titius solutioni tantum
adiectus sit, uti etiam Petrus Barbos. add. l. 45. n. 1.

§ 14.

Et 14. & Bald. Novell. de dot. privileg. 28. cum aliis
 annotaverunt, nos solam illam verborum præpo-
 sterationem variare obligationem vel solutionem
 ita simpliciter non credimus, nisi de alia mente ip-
 sius stipulatoris constaret aliunde. Illud tamen
 perinde non est, sive in contractu, sive post contra-
 ctum quis ut Adjectus adsumatur, quum post
 contractum adsumtus in rei veritate non tam Ad-
 jectus sit, quam procurator. Ut tamen Adjectus
 etiam ipsi stipulationis negotio præsens sit, necessa-
 rium non erit, quum ipli nullum jus acquiratur,
 modo sua sponte solutionem velit recipere. Si
 vero adjectioni interfuit, eidemque contentur, quia
 hac ratione de solutione recipienda tum quasi
 mandatum quoddam accepisse videtur arg. l. 6. §.
 2. l. 18. Et 53. mandat. conf. Doct. Job. Rudelius
 tom. 2. Consil. recent. J Ct. consil. 38 n. 7. & consil. 52.
 n. 10. ad recipiendam solutionem etiam cogi posset.
 Stracch. d. tract. part. 3. n. 82. seqq. conf. th. 7.

Th. XVIII. Ut vero stipulatio circa Adje-
 ctum se rite habere debet: ita quoque responsio
 quoad illum interrogationi congruere. Perlona
 igitur Adjecti vel expresse & nominatim in respon-
 sione repetenda est, hoc modo: dabo tibi aut Ti-
 tio, vel implicite & virtualiter ita designanda, ut
 exin-

exinde nihilominus de mente respondentis appare-
re possit. conf. pr. J. de exhered. lib. ibique Theo-
phil. in fin. verb. νὴ απλῶς &c. Sic qui stipulanti:
mihi aut Titio dabis? respondet simpliciter: da-
bo, etiam in Titium, tanquam in Adiectum eo
ipso contentisse videtur, dum in genere, & sine di-
stinctione affirmative respondet, arg. l. 9. §. 5. de in-
terrog. in jur. fac.: Neque enim necesse est, in re-
spondendo eadem omnia repeti, quæ stipulator expre-
serit, sunt verba Imp. in §. 5. in fin. J. de inutil. sti-
pulat. conf. §. 17. ibid. & l. 134. §. fin. de V. O. Si
tamen interrogatus ita respondeat: tibi dabo, Ad-
iectus stipulationi in responsione ne quidem virtu-
aliter repetitur, imo magis exclusus videtur, adeo-
que etiam, quia Adiecto nulla solutio promissa est,
taliter Adiectus pro vero Adiecto haberri non
potest.

Th. XIX. Finis *Adjectionis* est solutionis
commoditas, partim in stipulatore, partim in pro-
missore & stimanda, conf. tb. V. supra, in primis cir-
ca cambia & alia commercia, utpote quæ vix ubi-
vis locorum commode exercerentur, si nemo solu-
tioni adjici posset. Stracch. d. tractat. part. 1. n. 26.
Scacc. de Commerc. §. 2. gloss. 7. n. 33. & Marquard.
de Jur. Mercator. lib. 2. c. 14. n. 7. seqq.

D

Th. XX.

Th. XX. *Adjectoris Effectus* concernunt vel ipsum *Adjectum*, vel principales contrahentes, stipulatorem scilicet & creditorem ex una, ac promissorem & debitorem ex altera parte. Effectus respectu ipsius *Adiecti* considerari possunt ut primi & orti. Primi denuo dispisci in negativos & positivos. Effectuum negativorum primus est denegatio petitionis *l. 10. de solut.* accepto vocabulo petitionis heic non pro actione reali, quo significatur alias in *l. 24. de R. V. l. 178. §. 2. de V. S. l. 25. §. 37. de O. & A.* & aliis textibus accipitur, sed personali, utpote ex obligatione, personalis actionis matre *§. 1. f. de act. & l. 42. §. 2. de procurat. descendente.* Quoniam enim *Adiectus* tantum solutionem recipiendi cedula adjiciatur *l. 56. §. 2. de V. O.* nec ei per illam adjectiōnēm obligatio ullumque jus aliud active acquiratur, *l. f. §. 3. eod.* necessario exinde sequitur, quod is etiam nullum jus suo nomine agendi habere possit. Unde Ulpianus signanter in *l. 7. §. 1. de constit. pecun. simibi aut Titio stipuler.* Titio constitui suo nomine non posse Julianus ait: *quia non habet petitionem, tamen si solvi ei posset.* conferatur Paulus in *l. 59. de solut.* Quin autem *Adiectus* nomine stipulatoris & sui principalis, si ab eo ad hoc speciali mandato fuerit instructus, promitto.

missorem convenire, & ab eo debitum exigere possit, non est dubitandum, & hoc etiam inter Mercatores non est infrequens, cum allegatis. *Stracca d. tractat. part. I. n. 43. seqq.* Atque haec quoque ratio est, quare *Adjectus* cum efficacia protestari nequeat. Quum enim protestatio jus integrum conservare debeat protestanti, *cap. licet. X. de elect. Job. de Agusell. de Cesen. tractat. de protestat. n. 9.* nec illa interponatur utiliter ab eo, cuius non interest fieri, *I. 13. Cod. de rescind. vendit. Martin. de Ve tractat. simili n. 5.* & vero *Adjecto* per illam adjunctionem nihil juris extra potestatem solutionem recipiendi contra promittentem & debitorem competit, ipsiusque regulariter, nisi fuerit *Adjectus* in rem suam, de quo superius *Tb. V. sub fin. agit*, nihil interfit, ipsis, an stipulanti solvatur, quilibet animadverteret, quod etiam *Adjectus* contra promissorem protestationem utiliter interponere nequeat. Si tamen etiam is nomine *Principalis* & *stipulatoris* protestari velit, omnino audiendus erit, quia ea protestatio ordinaretur ad instituendam actionem, quam illi competere incundabile est. *Scacc. d. gloss. 7. num. 47. seqq. conf. Constant. Rogger. tractat. de protestat. §. congoruit. n. 14. seqq.*

Th. XXI. Secundus effectus negativus est denegatio novationis l. 10. de solut. Vox novationis & generis & speciei est, quales plures aliae, heic vero in generali & ea significatione accipitur, qua in l. 1. pr. de novat. definitur, ita scilicet, ut Adjectus sine mandato creditoris & stipulatoris, ad quem ea res pertinet, obligationem novare non possit, sive novatio fiat manente eadem persona, qualis novatio in specie & à quibusdam id propter specifica novatio appellari solet, sive nova persona interveniat, quæ delegatio dicitur. Quia enim per novationem prior actio plane interit, & nova substituitur l. 2. Cod. de execut. rei judic., per delegationem autem prior debitor plane è nexus dimittitur, & sic aliud, quam quod ab initio in stipulatum est deducetur, solvit, neutrum hoc sibi vindicabit Adjectus, ut qui ab initio eum in finem conventioni adjicitur, ut id, quod revera debetui, à debitore accipiat. Unde notanter Paul. in l. 10. de novat. cuire de solvit, is etiam novare potest, excepto eo, simili aut Titio stipulatus sim: nam Titius novare non potest, licet recte ei solvit; & Celsus in l. 25. eod. non id o novare veterem obligationem quisquam recte potest, quod interdum recte ei solvit. Nam & his, qui in nostra potestate sunt, quod ab

ab his creditum est, recte interdum solvitur: cum
nemo eorum per se novare priorem obligationem jure
possit. conf. Briffon. lib. 2. de solut. & liberat. tit. de
novat.

Th. XXII. Tertius effectus negativus ex-
cludit acceptilationem d. l. 10. de solut. Est autem
acceptum ferre idem ac confiteri, se accepisse, quod
non accepit l. 35. de pign. act. l. 48. §. 1. de jur. dot. &
l. 89. de solut. ita ut liberatio debitori contingat, et si
res debita soluta non sit l. 19. §. 1. de acceptilat. Ra-
tio hujus exclusionis est, quod vix receptum sit, ut
re diversa in personam Adjecti collata & postea so-
luta, liberatio contingat l. ult. §. 5. de V. O. conf.
superiorem Th. XII., adeoque multo minus ejus-
modi imaginariam & fictam solutionem liberatio
consequi possit. Accedit, quod aliud pro alio in-
vito creditore solvi nequeat, l. 2. §. 1. de reb. cred.
contingeret autem hoc ipsum, si acceptilatio Adje-
cti adjicientis debitorem liberaret. Idem dicen-
dum putamus de acceptilatione, quae fit interveni-
ente expromissione, de qua Ulpian. in l. 4. de con-
dict. caus. dati & celeberrimi Spanhemii Epistola de
acceptilationis fabula videri posset.

Th. XXIII. Licet vero in d. l. 10. de solut.
haec tria tantum Adjecto denegentur, nullum ta-

men est dubium, quin eidem etiam donatio, arg.
l. 7. §. 2. de donat. fidejussoris & pignoris acceptio
debitique proprio nomine facta constitutio sint
denegata *l. 23. de fidejuss. & l. 7. §. 1. ac l. 8. de Confi-*
int. pecun. vid. Cujac. ad l. 38. de solut. & l. 27. de
pact. licet in Adjecto anomalo & in rem suam &
haec talia admitterentur. Sic nec cessionem locum
heic habere credimus, sive illa consideretur active
sive passive. Quum enim per eandem active jus
quoddam in alium transferri soleat, eo autem Ad-
jectus heic destituatur, nullum quoque cedere pot-
erit. Et licet cessio passive alias sit vice solutionis,
attamen nec ista heic admittitur, quia verbum so-
*lutionis proprie & eo significatu, qui est in *l. 49. &**
46. pr. de solut. accipitur, magisque ad nummo-
rum solutionem, quam substantiam obligationis
refertur. Non obest, quod etiam cessio instar da-
tionis in solutum obtineat, liberationemque debi-
*tori pariat *l. 54. de solut. & l. 176. de V. S.* quia heic*
propria & rei ipsius debitæ solutio requiritur. conf.
Zob. à Graff. de cess. jur. & action. §. 4. num. 1. seqq.
& Lenz. tractat. simili. cap. 6. membr. 11.

Th. XXIV. Positivus effectus ex parte Ad-
jecti, & quidem per particulam exclusivam, tan-
tum, in d. *l. 10. de solut.* constituitur solutionis rece-
ptio.

ptio, in eo vocis solutionis significatu, quem ante
 designavimus. Tunc enim demum heic obligatio
 tollitur, quando idem, quod debetur, & ei, cui de-
 betur, solvitur *l. 107. de solut. l. 12. Cod. eod. & pr. 7.*
quib. mod. toll. oblig. Illud heic nihil interest, sive
 solutionem fieri Adjecto sciat stipulator, sive igno-
 ret, consentiat, an non, *l. 106. de solut.* Quia enim
 stipulatio certam conditioinem & formam ex vo-
 luntate contrahentium accepit, & interest debitore-
 ris, pluribus creditoribus posse solvere, haec ipsa
 facultas eidem afferri non debet, nec potest, arg.
l. 74. & seq. de R. I. cap. 32. de R. I. in 6to, ac l. 5. Cod.
de O & A. Non interest quoque, an solvatur Ad-
 jecto ante tempus, an post ejus lapsum, *l. 94. §. 4.*
de solut. siquidem Adjectio etiam temporis pro reo
 est ac debitore, non pro creditore ac stipulatore, *l.*
41. §. 1. de V. O. totumque medium tempus ad sol-
 vendum liberum promissori relinquitur, *l. 38. §. 16.*
cod. id quod non contingere, si, cum solvere velit,
 ante diem non posset, quam Juris sententiam *Isidor.*
Pelusota Lib. 1. Epist. 114. & Lib. 2. Epist. 212. ele-
 ganter ad tempus resurrectionis Salvatoris nostri
 transtulit, dignus omnino, qui videatur, conf. alias
 heic *Stracch. d. tract. part. 3. n. 131. seqq.* Istud et-
 iam heic nihil refert, sive Adjectus sit furiosus, pu-
 pillus

pillus vel alias ad solutionem inhabilis, de quo
 supr. th. 5. Nec solutioni impedimento erit, si debitor
 se creditori solutum specialiter constituerit,
 l. 59. de solut. quia Adiecti additio in constituto re-
 petita creditur, quoties is in secunda obligatione
 expresse non excipitur, aut constitutio soli princi-
 pali nominatim facta non appetet. Illud expedit-
 tum est, quod non solum res debitoris propria sol-
 vi debeat l. 17. & 46. de solut. sed etiam debitum in-
 tegrum, l. 9. Cod. de solut. quum particularis solu-
 tio plurima habeat incommoda, l. 3. famil. ercisc.
 & alias regulariter non admittatur, l. 41. §. 1. de u-
 sur. & l. 4. §. 6. de stat. lib. Carpzov. Jurisprud. Ro-
 man. Saxon. part. 2. Confit. 28. d. 13. Freyer. de solut.
 cap. 7. n. 3. seqq. & Gregor. Bernhard. disquisit.
 legal. qu. 2. nisi pars debiti nondum ad liquidum
 fuerit deducta, Carpzov. lib. 5. Resp. 99. n. 8. seqq.
 aut debitor sine sua culpa ad eas incitas redactus, ut
 solidum una vice offerre nequeat, de qua exceptio-
 ne vid. Recess. Imper. ult. §. Soviel nun die Capi-
 talien. 172. & ibi Hahn. ad num. 3. n. 30. seqq. atque
 Mev. in Norm. Aequitat. c. 4. seq. 9. num. 4. de aliis
 pluribus Frider. de Contin. caus lib. 3. n. 6. & Negu-
 sant. de pign. part. 5. membr. 3. part. 2. num. 20. seqq.
 Hac enim quoad ipsum creditem locum inveniunt,

niunt, adeoque etiam in Adiecto, per quem isti solvitur, obtinebunt. Unde fortasse non inepte quis statuet, posse etiam debitorem pecuniam oblatam deponere, eaque depositione, cætera si fuerint paria, de quibus vid. *Georg. Schultz. tractat. de Oblat. ob sign. ac deposit. cap. 2. 3. & 4.* à creditore liberari, arg. l. 12. pr. de solut. *Schultz. d. cap. 2. n. 6.* Quantumvis enim hæc depositio creditori fortean incommoda sit, sibi tamen illud imputabit, quia talem Adiectum elegit, & intelligere potuit, eumdem & sibi prodest, & nocere quoque posse. Si tamen pars tantum, creditore expresse non dissentiente, Adiecto fuit soluta, perinde erit, an residuum ipsi quoque, an stipulanti postea solvatur, & vice versa, quum qui voluit, ut alicui totum solvatur, etiam voluisse censeatur, ut eidem pars solvatur l. 71. pr. de solut. *Card. Tuscb. Practic. Conclus. lit. A. conclus. 179. n. ult.*

Th. XXV. Contingit autem per hanc solutionem Adiecto factam, uti Th. XII. etiam innui-mus, debitori liberatio aliquando ipso jure, non-nunquam ope tantum exceptionis. Ipso jure, quando illud, quod creditori, eodemque modo & sub ea qualitate, qua eidem præstari debebat, Adiecto solvitur; ope exceptionis vero, ubi alia res fa-

E

ctum-

Numque aliud, quam stipulatori erat promissum,
 solutum fuit l. ult. §. 5. de V. O. conf. l. 44. §. 4. de
 O. & A. Aretin. ad d. §. 5. notab. 1. & Giphan. ad d.
 l. 44. n. 40. seq. ubi hanc rationem differentiam hujus
 reddit, quia, inquit, quod in obligatione est, nempe
 100. mihi promissa, non est solutum, sed homo, qui
 non fuit in obligatione. Nam vero cum non ipsum
 solvitur, quod est in obligatione, sed aliud pro eo, non
 sit liberatio ipso iure, per exceptionem tamen defendi
 potest. Hac ibidem Giphan. conf. Cujac. ad l. 55.
 de V. O. Scilicet quum omnia, quae agimus &
 aliquem juris effectum habere debent, à nostra
 persona initium lumant l. 11. de O. & A. res autem
 ista vel factum diversum, quod Adjecto est præ-
 standum, à persona creditoris initium non capiat,
 liberationi isti etiam, quae post præstationem illius
 alias debitorem solventem lequitur, Jus Civile ita
 nequit simpliciter adscire, utpote quod stipula-
 tionem alteri factam non attendit; quia tamen ni-
 hilominus & stipulantis & promittentis mutuos
 consensus de facto vel re alia Adjecto præstanda in-
 tercessit, & stipulatio certam formam habet, quam
 stipulator immutare non potest. l. 12. §. 3. de solut.
 hinc si is nihilominus, solutione jam tum Adjecto
 facta, à debitore debitum exigere velit, ex æquitate debi-

debitōrī mērito conceditur exceptio, quia solvit ex voluntate ejus, & creditor illud actione mandati ab Adjecto iterum potest repetere, arg. l. 24. pr. § 59. de solut. post Bartol. in l. 1. de pact. Stracch. dict. tractat. p. 2. n. 7. seqq.

Th. XXVI. Ortus effectus respectu Adjecti est actio stipulatori adverlus Adjectum competens ad restituendum id, quod ipsi à debitore solutum est. §. 4. J. de inutil. stipulat. l. 131. §. 1. de V. O. & l. 98. §. 5. de solut. Quæ autem actio heic locum inveniat, inter antiquiores JCtos non conveniebat. Nobis herciscendæ familiæ judicio heic agere & distinguere placet, an mandatum inter stipulatorem & Adjectum intervenerit, sive illud fuerit expressum, sive tacitum, & mandati actionem stipulatori contra Adjectum competere credimus dd. text., si neutrum horum intervenisse probari possit, negotiorum gestorum actionem stipulatori defendemus, arg. §. 1. J. de Obligat. que quasi ex contract. vid. heic omnino Stracchad tractat. part. ult. num. 1. seqq. Quantumvis autem laudati textus inter hæc phænomena moralia ita explicite non distinguant, in Jure tamen nostro ita insolens non est, ut ejusmodi textuum generalitas de habilitate limitationem recipiat. Barbos. Locupletat. Lib. 7. cap. 2. axiom. 3.

E 2

Th.

Th. XXVII. Effectus hujusmodi Adjectio-
nis ex parte ipsorum Principalium contrahentium,
& quidem debitoris, est liberior facultas se ab obli-
gatione, qua stipulator erat obstrictus, liberandi,
qua ex ipsa stipulationis forma concessa; ex parte
vero creditoris, si Adjecto fuit solutum, impoten-
tia contra debitorem amplius agendi, nisi forte rei
promissæ & præstitæ aliquid abest, aut præstanda
venit evictio, tunc enim stipulator adhuc contra
debitorem agere, ipsamque rem denuo petere pot-
est, licet non eamdem denuo, sed saltem jus, quod
ei deest, consequatur. l. 33. de solut. Nec enim so-
lutos videtur fundus, qui evictus est jure dominii
vel pignoris l. 3. pr. de action. empti; quin & non-
dum evicto fundo agere poterit, ut sibi de evictio-
ne caveatur, l. 27. de solut. & l. 131. de V. O. conf.
Cujac. add. l. 33.

Th. XXVIII. Extinguitur hæc Adjectio
morte, non quidem ipsius stipulantis, quem solu-
tio semel in Adjectum collata, & à debitore sit pro-
missa atque post mortem etiam stipulatoris Adje-
cto fieri queat l. 45. solut. matrimon, aliaque condi-
tio sit procuratoris, alia Adjecti, sed ipsius Adjecti.
Licet enim alias conditio obligationis ex persona
heredum non immutetur, l. 2. §. 2. de V. O. illa ta-
men

men regula ideo *huc applicari nequit*, quia nihil obligationis in Adjecto est, nec etiam heic substantia obligationis immutatur, sed tantum commodum solvendi assertur. Sententiam autem nostram probat expressus textus in l. 55. de V. O. & illa ratio, quod in Adjectum duntaxat conferatur solutio, quæ meri est facti, quod in heredes transitiorum non est l. 44. pr. de condit. & demonstr. Excipiunt heic nonnulli Adjectum sub nomine dignitatis & officii, quod heic non exputabimus. Idem dicendum de Adjecti secutura civili morte & conditione fortunaque in deteriorem statum deducenda, l. 38. de solut. quum tacite inesse hæc conventio stipulationi videtur, si in eadem caussa maneat. Non obloquitur l. 95. §. 6. de solut. & l. 56. §. 2. de V. O. quæ agunt de capitis diminutione tempore stipulationis jam tum præsente, quum d. l. 38. de solut. agat de capitis diminutione post adjectionem superveniente. Cujac. ad utramque legem oppositam. Alciat. ad d. l. 56. §. 2. de V. O. n. 3. seq. distinguit inter filium & extraneum. Zaf. cod. n. 10. inter capitis diminutionem in melius & deterius, aliter Straub. Dissert. 17. ib. 3. in fin. vid. omnino Hieronym. de Oroz. de Apicibus Jur. lib. 2. cap. 13. n. 6. seqq. Huc etiam supra Tb. VI. retulimus subsequutum Mo-

nachissimum Adjecti, cuius ratio in solo apricatur.
Redditur enim hoc modo creditori difficilior repe-
titio, quum Monasteria notorie libentius acci-
piant, quam solvant. conf. Alteserr. Ascetic. lib.
10. cap. 6.

Th. XXIX. Exspirat quoque Adjectio, si
stipulator cum debitore litem est contestatus. Per
litis contestationem enim novus quasi-contractus
inducitur, l.3. §. 11. de pecul. caussaque stipulatoris
potior evadit, l.57. §. 1. de solut. l.10. de fidejuss. Cu-
jac. adl. 38. de solut. & l.55. de V. O. Sed & con-
sensu contrahentium revocari potest Adjectio. arg.
l.35. de R. J. non tamen unius. Scacc. d. Gloss. 7. n.
77. seqq. Quod solutione vel Adjecto vel Princi-
pali facta extingvatur Adjectio, est in confessio o-
mnium. Sed finiendum tandem cum eo, cum
quo exorti sumus, cui etiam pro praetita divina
aduentitia sit laus, honor & gratiarum actio
in sempiterna secula.

F I N I S.



CO-

COROLLARIORVM LOCA ADIECTA.

I.

*Procurator post Litis Contesta-
tionem fit Dominus, etiam hodie.*

II.

*Pignore à creditore reddito, pi-
gnus censetur remissum, non debi-
tum.*

III.

*Sponsa secuto matrimonio ar-
rham non retinet.*

IV.

*Tutor honorarius privata con-
ventione contotorum non consti-
tuitur.*

V.

*Testamentum judiciale à Testa-
tore*

tore receptum non censetur mutatum.

VI.

Nec opus est, ut in testamenti
judicialis oblatione adsint Scabini,
sed sufficit solius judicis præsentia.

SOLI DEO GLORIA.



Altdorf, Diss., 1692-93

f



56.

VJ 17





14 DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
A D I E C T O,

GERMANIS

Von denen in Obligationen, Contracten und Testamenteiten angehängten Bedingnüssen, in wieferne solche für gültig oder ungültig zu halten sind.

Q V A M
IN ACADEMIA ALTDORFINA CELEBERRIMA,
P R O

LICENTIA DOCTORALI
ERUDITORVM EXAMINI SVBIECIT
GOTTHARD RVDELIUS

GOTTHARD RYDBEENS,
COTBVS. LVSAT.

C O T B V S . L V S A T

D. XVIII. IAN. MDCCXCI.



I E N A E,
EX OFFICINA HELLERIANA, 1757

